Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2109
Quelle:
Copyright:

puto noſtra innui per *Quaeſtiones quodlibeticas* a ſolo *Waddingo* citatas. Quamvis enim hae illo teſte incipiant: *Inter Theſauros Sapientiae* &c. meminiſſe tamen debemus, eas in praeſenti *Codice* compendio tantum referri, ut Titulus ſupra adſcriptus docet.

Involutus eſt Codex Membranae continenti Literas expectativas ab *Innocentio* Pont. Rom. datas *Joh. Clementi de Duba* pauperi Clerico ad beneficium, cujus collatio ſpectat ad *Pragenſem* Epiſcopum, aut Coenobium *Aulae Regiae* Ord. Ciſt. *Rome apud Sanctum petrum XII. kl. Decembr. Pontificatus Anno primo.* Eſt is Annus 1353. et Pontifex *Innocentius* VI.

DLV.

785 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 67. 8. minutius, ſed eleganter exaratus, et rubricis diſtinctus exhibet: I. Dialogum inter *Clericum Secularem* et *Regularem* inſcriptum *Innocentio* II. Pont. Max. qui obiit a. 1143. Initium ejus ita habet: *Innoc. diuina fauente clementia ſancte romanę ſedis almo pontifici. G. frater indignus uocari presbiter. cum Petro pugnare. cum Petro triumphare. Quod omnium ęccleſię filiorum ego indigniſſimus et infimus preſumo ſcriptis alloqui uicarium Petri* &c. Autor nervoſi et egregii hujus Scripti eſt *Gerhobus* ab a. 1132. ad an. 1169. celeber Collegii Canon. Reg. *Reichersberg.* in *Bavaria* Praepoſitus, pietate ac doctrina illuſtris, acerrimusque veritatis propugnator et morum cenſor; in Epilogo enim, nobis *fol.* 26. p. 2. diſerte legas: *digneris in bono habere memoriam mei indigni presbiteri nomine Gerhobi.* Edidit illud e *Cod.* ut ait, coaevo Coenobii *Rotenſ.* O. S. B. in *Bavaria* D. *Bern. Pezius* T. II. *Theſ. Noviſs. Anecd.* P. II. p. 438. praemiſſis in *Diſſert. Iſagog.* p. 28. obſervationibus, quae me plura de eo adferendi labore levant. Id unum noto, *Codicis* noſtri poſſeſſorem quendam olim abſurde circumſpectum verba illa, quae ſub principium *Gerhobus* de ſe poſuerat: *perdita virginitate, nimium ſero,* deleviſſe, quae *Pezius* laudabiliter repoſuit memor illius: *Eſt confuſio adducens gloriam et gratiam.* Eccli 4. v. 25. Ceterum Codex cum Editis probe conſonat.

II. *fol.* 28. ſequuntur Excerpta e L. XXI. *Auguſtini de Civit. Dei* de Sacramentis Euchariſtiae et Baptiſmi. Item e *Gelaſii I. Epiſt. ad Epp. Orient. et Dardan.* Item ex *Auguſtino de poteſt. lig. et ſolvendi*, et *de unico Baptiſmo* &c.

III. *fol.* 31. *Incipit tractatus wilgelmi philoſophi de ccis ſuper philoſophiam.* Lege *Wilhelmi* ſeu *Guilelmi* ab oppido patrio *Normanniae* dicti *de Conchis*, quem nolim cum *Poſſevino* conjicere *Franciſcanum* fuiſſe, Autoris in *Gallia* ſua Sec. XII. celeberrimi, mortui a. 1150. *Pariſiis*, de quo ubertim congeſſit *Oudinus* T. II. col.